

de Salas : An liberum arbitrium habeat aliquam vim, qua concurrat ad actus supernaturales ? Quasi vero non id iam lubentissime Prædicatores admittent ! Molina etiam peregrinos sensus assigni, conquestus est : nusquamque ab illo traditum dixit, quod influxus liberi arbitrii non esset a gratia.

Id ut audivit Thomas de Lemos, subsidiarium defensorum exagavit, quod ne Molinam quidem legisse videretur. Unde ultra quinque Molinianæ CONCORDIÆ loca, ex quibus cum hoc in errore versari, jam demonstraverat, addidit alia duo : primum ex disp. 1. q. 23. art. 4. & 5. memb. 11. §. Denique, & disp. 12. §. Primo, ubi ait : *Quod ex duobus hominibus, æqualiter vocatis ad fidem, unus convertatur, & non alius, non aliunde fuit, nisi quia ille pro innata libertate voluit uti eo auxilio ; alius non item.* Ex quo intulit, usum illum non esse a gratia. Alterum ex memb. 7. §. Ad confirmationem : ubi Molina in motione liberi arbitrii distinguit rationem influxus, & rationem actionis : atque, inquantum influxum, non esse a Deo, sed solum ab humana voluntate ; ut autem actionem, esse a Deo simul, & libero arbitrio.

Respondentur Molinæ Defensores, id de influxu duntaxat, ut vitali, & quoad substantiam actus, intelligendum esse. De cætero vero, Solum sub finem libri 4. Sententiarum non aliam agnovisse causam, cur unus præ altero convertatur, nisi quia unus præstat assensum, alter minime.

Soti contextum a Jesuitis mutilari, clamavit Lemos. „ Beatissime Pater, inquit, præcipiat „ Sanctitas Vestra, ut Pater iste legat verba sequentia in Soto, contra ipsius Patris doctrinam. Ait enim Sotus §. *Quidam* : Assensus „ Liberi Arbitrii non est causa præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis, id est præveniens liberum arbitrium. Et parum „ infra : ait : Hæc ergo Theologia non asserit, „ assensum nostrum, ut est a libero arbitrio, esse meritum gratiæ ; ( hic enim fuit Pelagianus error ) sed, ut procedit ab auxilio speciali, „ est sicut dispositio materialis, &c. Sic concluditur contra Molinam, & Defensores.

Tunc dato signo a Summo Pontifice, Congregatio soluta fuit.

#### Judicium de Quæstione mox disputata.

( 1 ) „ Die Mercurii, 19. Novembris 1603. „ hora 16. censuerunt omnes, propositionem Mo-

( 1 ) *Ex Actis Secretarii. In Compendio sic* : Quamvis dabitari posset, an Pelagius agnovit gratiam cooperantem ; ex his tamen, quæ S. Augustinus tradit cit. lib. De Gratia Christi, non obscure colligitur, illam, PP. scriptis, & Africanorum Conciliorum decretis convictam, aliquam tandem gratiam internam, & supernaturalem, sive sicte, sive ex animo concessisse. Certum tamen est, Julianum, & alios Pelagii Sæctatores non dubitasse concedere Dei influxum concomitantem, quo bonum hominis propositum juraretur, quamvis nunquam admiserint prævium illum influxum, per quem Deus hominum corda immutat, & ex malo in bonum convertit. Ita tradit S. Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. c. 10. & lib. 4. c. 6. quem errorem ibidem impugnat. Sempelagianos quoque in eundem lapsos fuisse errorem, scripsit S. Prosper ad S. August. Unde Faustus, Rhegiensis Episcopus, lib. 1. De gratia, & humanæ mentis arbitrio, c. 1. & 17. ut gratia adjuvanti, de qua quæstio erat, subtraheret rationem omnem, & virtutem immutandi voluntates, tanquam fundamentum totius doctrinæ suæ constituit, gratiam, & laborem, seu conatum liberi arbitrii partialiter concurrere ad reliqua perficienda opera. Quem Joannes Maxentius ex eo potissimum impugnat, & libros ejus hæresis convincit, quod doctrinam contineant contrariam illi, quam S. Augustinus tradidit contra Pelagianos, & eorum reliquias, potissimum in lib. De prædestinatione Sanctorum.

Contra prædictam Pelagianorum, & Sempelagianorum hæresim, tria semper tenuit, & docuit Ecclesia Catholica de actuali gratia adjuvante, seu efficaci : Quod sit prævia, non pedessequa ; antecedat nostræ voluntatis consensum, non illi subiciatur ; atque adeo non ex ullis meritis, sed ex sola Dei misericordia nobis tribuatur : Quod influat in voluntatem, & illabatur cordibus nostris : Ac denique quod per illum Deus ita immutat voluntates hominum, & faciat ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, & ex persequentibus amantes, ut liberum arbitrium non auferat, sed firmet in bono, ne per inania feratur. Et hæc est patentiissima S. Augustini doctrina.

Quibus collatis cum doctrina Molinæ, apparuit, eum, ut omnino negaret gratiam adjuvantem, quæ præpõneret efficaciter liberum hominis arbitrium ad consensum, & ex malo in bonum voluntates transferat, ita doctrinam prædictam de causis partialibus tradidisse, ut S. Augustini sententiæ de Gratia Christi omnino adversetur, & Pelagianorum hæresim mirum in modum foveat.

linæ de causis partialibus nullo modo deduci posse ex S. Augustini doctrina ; sed potius esse Pelagii dogmati maxime consonam. Dissensent Dominus Aquilianus, & P. Regens Carmelitarum, qui dixit, hanc propositionem tot verbis non reperiri in S. Augustino ; non tamen esse contra ejus doctrinam. Absolvitur prope horam Vigefimam.

#### C A P U T XXVII.

*Quid trigesima-septima Congregatione disputatum ? Quid trigesima-octava definitum ?*

Die 25. Novembris anni 1603. coram Clemente VIII. Congregatio trigesima-septima celebrata fuit. Disputatum est de secunda precedentis quæstionis parte : „ An, quod liberum arbitrium ex se, separatim a gratia, nihil habeat a Deo, nisi possibilitatem illam, quam Deus illi tribuit ab initio ; sit ex sententiæ expressa S. Augustini, aut ex illo colligi possit ? „ An potius conveniat cum Pelagio, præsertim „ loco, relato a S. Augustino, lib. De Gratia Christi, cap. 3. & sequentibus ?

Varios propositæ controversiæ sensus aperuit Ferdinandus de Baltida ; qui cum in superiori disputatione propugnasset, liberum arbitrium, & gratiam ad eundem actum perficiendum ita concurrere, ut unumquodque per virtutem distinctam a virtute alterius operetur, controversiæ sensum legitimum hunc esse, voluit : An scilicet, separando jam liberum arbitrium a gratia, & considerando concursum illum arbitrii, prout ab arbitrio est, tanquam una ipsius causa ; An, inquam, liberum arbitrium, sit a gratia, cum qua cooperatur, separatim, alicuius aliquid habeat a Deo ad præstandum istum assensum, præter possibilitatem naturalem, quam in prima creatione suscepit ?

Hoc posito, monuit tripliciter posse duas causas partialiter concurrere. 1. Ita ut una ab altera in operando non dependeat. 2. Ita ut una accipiat virtutem ab alia ; quemadmodum, si pater, & filius aliquem lapidem ferant, filius, qui est causa partialis, ferendi virtutem a patre suscipit. 3. Ita ut una, præter susceptam virtutem ab altera, ab eadem ad agendum moveatur : veluti si pater moveat filium suum, ut secum ad ferendum lapidem concurrat, virtute, a se ipso jam communicata.

Tertio illo duntaxat concurrenti modo gratiam, & liberum arbitrium causas esse partiaras, pro-

propugnavit ; adeoque nihil obesse, quominus liberum arbitrium, a gratia, cum qua operatur, separatim, multa ad præstandum assensum habeat a Deo, præter possibilitatem naturalem, quam in prima creatione accepit. Duo hæc cum Molinæ doctrina optime coherere, ostendit, septem positæ assertionibus, ab illo ( ut ajebat ) firmiter propugnatis. Prima erat, Nihil esse nostrum, de quo, tanquam in nobis, gloriari possimus. 2. Influxum partialem, ut præcite provenit a libero arbitrio, Deo esse tribuendum. 3. Deum dare talia auxilia, quibus sciebat, hominem efficaciter promovendum. 4. Adjutorium gratiæ dare vires, corroborare liberum arbitrium, & reddere illud potens ad operandum. 5. Gratiam nedum dare vim agendi, sed adjuvare liberum hominis arbitrium. 6. Gratiam facere, non operari, & vellet. 7. Deum per gratiam prævenientem cum libero arbitrio physice cooperari ad consensum.

Rem intimius attingit Thomas de Lemos. Molinam Pelagianismi postulat, eo præsertim S. Augustini loco nixus, quem in proposita quæstione Sanctissimus indigitaverat. Tria, ibi a Pelagio studiose distincta, observavit ; posse, velle, & agere ; quorum primum duntaxat Divinæ Gratiaë tribuebat ; illumque idcirco ab Augustino habitum, ut hæreticum, in sola lege, atque doctrina hærentem, quod gratiam tantum fateretur interioris illuminantem, excitantem, invitantem, & allicientem ; eamque propugnare nollet, qua Deus vere, ac proprie voluntatem, & actionem operatur. Nihil hac parte Molinam a Pelagio distare, multis ostendit. Unde ultimo tandem intulit, juxta Molinæ principia influxum liberi arbitrii in opus supernaturale non aliter tribui Deo, nisi ut auctori naturæ ; qui naturalem illam influendi facultatem libero arbitrio tribuit ; atque adeo liberum arbitrium ex se, consideratum separatim a gratia, quando cum gratia influat, uti causa partialis, nihil aliud habere a Deo, nisi possibilitatem naturalem, quam Deus ei ab initio contulit.

Objeçtis postmodum satisfecit. Septem Molinæ assertiones, ex quibus doctrinæ ipsius orthodoxiam Baltida collegerat, exsufflavit : quod videlicet priores due gratis illi affectæ essent ; cæteræ vero quinque aperta æquivocatione laborarent. Diciturque Augustini ( 1 ) de dolosa Pelagii confessione pompaticis illis assertionibus accommodavit. *Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, omnino eum, putat, hoc sentire, quod veritas habet : quisquis autem, quid in eis aperius dicat, advertit, debet habere etiam ista verba suspecta* : Quia solas internas excitaciones & revelaciones Molina novit, quibus hominem præmoveri, adjuvari, erigi, atque corroborari voluit : gratias tamen veri nominis efficaces negavit, per quas solas, nobiles illi effectus, ut ad salutem oportet, præstari efficaciter possunt.

Contra Lemosi dicta vires collegit Ferdinandus de Baltida. At, dum ei probandum fuisset, Pelagium gratiam interioris illuminationis, & inspirationis non admisisse, ut Molinam, hujuscæ duntaxat gratiæ defensorum, ab eo dissensisse, demonstraret ; ea neglecta, probandum sibi sumpsit, Pelagium veram Christi gratiam, qua

Serry Tom. I.

vera voluntati possibilitas conferatur, non propugnasse.

Irritum illum Baltidæ conatum derisit Lemos : quasi vero Pelagium, veræ gratiæ assertorem, ac vindicem, dixisset ipse, ut id ab illo confutari, necesse fuerit. Immo potius id totum in Molinæ caput verti, ait : si enim Pelagius, admittat licet interiori inspiratione, & excitatione, a Patribus nihilominus, & Conciliis accusatur, tanquam veræ Christi Gratiaë professus hostis ; quid de Molinâ judicandum, cui non alia, nisi interioris inspirationis gratia sapit ?

Hæc illum, molestius urgentem, duplici sophismate sæpius impetit Ferdinandus de Baltida. *Gratia, inquiebat, que dat vires, ut possimus, est gratia sufficiens : sed gratia sufficiens est vera gratia : ergo Pelagius, qui secundum te admittit gratiam, que dat, ut possimus, agnovit etiam veram gratiam.* Rursus : *Secundum S. Augustinum, ex sua expositione, gratia, que dat tantum posse, non est vera gratia : sed auxilium sufficiens dat tantum posse : ergo sequitur ex tua responsione, quod auxilium sufficiens non sit vera gratia.* Respondit semel, & iterum Thomas de Lemos : Gratiam, quæ veri nominis gratia est, vereque sufficiens, non eam esse, quæ dat posse tantum extrinsecum, excitando, invitando, & alliciendo ; qualem Pelagius, & Molina noverunt : sed illam, quæ intrinsecam, & supernaturalem potentiam elargitur. Quamquam nec illa etiam vera Christi gratia putanda sit, quæ datur electis, feceritque bonos a malis ; hæc enim non solum dat posse, quod volumus, sed etiam velle, & operari, quod possumus.

Subjunxit Vir doctissimus alia multa, quibus cætera Baltidæ argumenta, initio disputationis objecta, refelleret, humanamque libertatem cum Divinæ Gratiaë intrinseca efficacia coherere, demonstraret. Cui non modo Sanctissimus Pontifex assensus est ; sed & insignem S. Augustini locum ( 2 ) de liberrima, fortissima, invictissimaque Petri voluntate, subministravit ; qui vel unius rei conscienda abunde sufficeret.

Congregationem, dato signo, solvit Clemens VIII. hora 21.

#### Judicium de superiori disputatione.

( 3 ) „ Congregatio 38. celebrata est die 26. „ Novembris 1603. hora 16. Dixerunt Domini „ Consultores de secunda parte dubii propositi : „ videlicet, An quod liberum arbitrium, separatim consideratum, nihil habeat a Deo nisi possibilitatem, sit Pelagianum, vel potius secundum S. Augustinum ? Et censuerunt omnes, „ Pelagianum esse hoc assertum, & a Molinâ traditum ; exceptis D. Episcopo Aquilano, & „ P. Regente Collegii Carmelitarum, qui dixerunt, non esse Pelagianum, sed ex S. Augustini „ no deduci. Absolvitur hora 19.

E e C A.

( 1 ) *Lib. de Gratia Christi. cap. 2. ( 2 ) Lib. De Corrept. & Gratia cap. 8.*

( 3 ) *Ex Actis Secretarii. In Compendio sic* : Resolvit Congregatio, hanc secundam partem dubii propositi esse omnino connexam cum prima ; atque adeo, constituto secundum Molinam liberum arbitrium, & gratiam ad eundem actum supernaturalem perficiendum concurrere, tanquam duas causas partiales, liberum arbitrium, ut hac ratione influat in actum, nihil habere a Deo præter possibilitatem naturalem, quam illi ut auctor nature contulit, solaque virtute propria nature suæ moveri, & applicari ad eliciendum ejusmodi actum supernaturalem, quin prius a gratia vires accepit ad se determinandum ad operationem, invitatum tantum, suavit & allicentem a Deo, qui gratiæ suæ auxilio invitatum solum, suadendo, & alliciendo adjuvat possibilitatem illam, quam homini tribuit ab initio.

## CAPUT XXVIII.

Quid trigesima nona Congregatio disputatum?  
Quid quadragesima definitum?

**D**e 8. Decembris 1602. coram Clemente VIII. celebrata est Congregatio trigesima nona. De septimo Scripto disputatum fuit: Quid intelligat Molina, dum dicit, quod in actibus elicitis ex sola facultate naturali, respiciuntur fidem, spem, & caritatem in Deum, Deus inserit se, & elevat eos, & facit supernaturales? An scilicet intelligat, quod Deus elevet illosmet actus, ex sola naturali facultate factos, & faciat eos supernaturales? An vero, quod, posthabitis illis actibus, ex facultate naturali factis, elevet potentiam ipsam, ut alios actus faciat, nedum naturales, sed etiam supernaturales?

Tria potissimum statuit Ferdinandus de Bafida, ut hujuscæ Moliniana doctrina sensum exponeret, ejusque veritatem tueretur. 1. Molinam, dum Deum se nostris actibus inferere docet, nomine nostrorum actuum non intelligere actus naturales fidei, spei, & caritatis, quoad substantiam operum, quasi dilectionis actus, a natura primum elicitos, Deo se inferente, supernaturales evadat; quia de actibus indeliberatis, necessariis, & collationem gratiæ solito antecedentibus, loquitur; quales certe illi non sunt. 2. Molinæ doctrinam nulli censuræ obnoxiam fore, tametsi eisdem numero actus naturales elevari, ac supernaturales fieri docuisset, Divina illa, ut ita dicam, infertione: quia, (supposita probabili quorundam Theologorum opinione, qui actuum supernaturalitatem modum duntaxat esse profiterentur) nihil vetat, rem, ex sua ratione substantiæ naturali, supernaturalem fieri quoad modum. 3. Molinistæ propositionis controversiæ sensum non esse, quod Deus elevet illosmet actus, ex sola naturali facultate elicitos, eosque supernaturales faciat; sed quod, præhabitis quibusdam actibus naturalibus, gratiæ collationem antecedentibus, v. g. affectione quadam, lectione, & auditione rerum, ad fidem attenturum, Deus, humanis se cordibus inferens, potentiam ipsam elevet, ut alios actus, non jam naturales, sed supernaturales eliciat. Illud enim de iisdem numero actibus nullo pacto intelligi posse, perspicuum est; tum quia actus naturales, & supernaturales numero, ac specie distingui, docet; tum quia supernaturalitatem actuum non adventitium modum, sed differentiam illorum specificam, & essentialiam esse, propugnat.

Sic exposita Molinæ sententia, cæteras difficultates attingit, quas septimo suo Scripto Pontifex inferuerat. Ad primam videlicet: An, stante ea Molinæ doctrina, hanc potentie elevationem Deus faciat intuitu, & contemplatione actuum, ex sola facultate naturali elicitorum? Respondit minime; Et si enim naturales illi actus potentie elevationem antecedant, necessarii tamen sunt, nullamque in se bonitatem habent, qua Deum excitare, ac movere valeant, ut eorum intuitu potentiam ad ordinem gratiæ promoveat.

Ad Secundam: An, & quid amplius tribuat Deus istis actibus, factis, & elicitis ex sola facultate naturali; quia jam facti sunt a credente in Deum, a sperante in Deum, ab amante Deum super omnia? Dixit, nihil tribuere: quia non eos Deus elevat, sed potentiam ipsam, ut novos actus supernaturales edat.

Ad Tertiam: Si Deus elevat potentiam, ut actus supernaturales novos faciat; cum jam potentia

(juxta Molinam) ex facultate naturali posse credere; sperare, amare, dolere de peccatis, cum proposito, & deliberatione amplius non peccandi, & potius subire mortem, quam offendere Deum, & in summa conteri; & atteri propter Deum: An per istam infertionem aliquid amplius assequatur potentia, quam ut facilius hoc omnia facere possit? Respondit, assequi aliquid amplius; quia, ut voluntas nihil, nisi facilitatem, ea elevatione suscipere censeretur, necessum esset, præsupponi in ipsa ante elevationem potentiam absolute elicendi hujusmodi actus supernaturales. Ad non ita se res habet; solum enim præsupponitur potens elicere alium actum naturalem, supernaturalem duntaxat similem.

Ad quartam demum: Quid sit supernaturalitas, quam secundum Molinam assequitur potentia, vel assequuntur actus, ex potentia naturali facti boni tum ratione objecti, tum officii, nulla mala circumstantia vestiti, sed omnibus bonis circumstantiis, & in summa, facti a credente in Deum, a sperante in Deum, ab amante Deum, a dolente, illum offendisse, cum deliberatione cum non amplius offendendi, quando Deus se in illis inserit, & elevat eos? Respondit, supernaturalitatem, a potentia susceperat, (siquidem de actu supernaturalitate Molinam non egisse, suppositum) esse accedens supernaturale gratiæ, per modum principii effectivi, quo facultas redditur potens attingendi effectum, ad quem sola pervenire non poterat.

Adversus omnino veltigis incesit Thomas de Lemos. Dicendum est primo, inquit, Molinam manifeste asserere, Deum per auxilia gratiæ se inferere conatibus, prius ab homine incæptis ex sola naturali facultate. Hoc fit manifestum ex Disputatione nona, in qua non semel, sed 2. 3. 4. & 5. expressis, & formalibus verbis id affirmat. Quæ loca, quia notissima sunt, & sæpe in conspectu Vestri Sanctitatis adducta, modo omitto. Dico secundo: Molinæ aperte docet, Deum, se inferendo, elevare eosdem numero actus, ab homine incæptos ex solis naturæ viribus. Hoc patet ex disp. 14. memb. 5. §. Post hanc: ubi ait circa finem: Quoniam vero facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam; Christusque nobis promeruit auxilia, non solum quæ conatibus nostris ex viribus naturalibus efficere, quod in nobis est, præstito essent, ac prævenirent; ut sic illo eodem conatu elicereamus dispositionem supernaturalem ad gratiam &c. Hic locus, si æque consideretur ab his Patribus, tollit omnem difficultatem, & efficit, ut essent omnia, quæ modo proposuerunt. In hoc enim non solum agit de actibus indeliberatis, sed de deliberatis illis, quibus homo facit totum, quod in se est: & de illis, dicit Molinæ, quod Deus dat gratiam prævenientem, ut sic illo eodem conatu, incæpto ab ipsa homine, elevando illum per gratiam, eliciat dispositionem ad gratiam. Ergo sentit Molinæ aperte, quod Deus eundem numero actum, etiam deliberatum, elevet per auxilia gratiæ. Disputatione etiam 45. §. Accipe, quo in loco ex professo agit de elevatione istorum actuum, & quomodo talis elevatio fiat, & quomodo sint illi actus, qui elevantur, sic dicit: Dum homo, nondum ad finem supernaturalem intentus vocatus, cogitat, & expendit res credendas, per notitias, Concinatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influit Deus in eadem notitias influxu quodam particulari, & supernaturali. Quid clarius? In eadem notitias, elicitas a sola facultate naturæ, influit Deus influxu particulari, & supernaturali: ergo easdem notitias, ab homine incæptas, elevat per dona gratiæ. Hoc ipsum magis explicans, magisque declarans, statim subdit: Notitiæque illa, & cognitio, effecta jam a Deo super-

supernaturalis per talem influxum, appellatur gratia præveniens, ex parte intellectus. Quid manifestius? Notitia illa, inquit, videlicet incæpta sola naturali facultate, effecta jam per influxum gratiæ supernaturalis, habet rationem gratiæ prævenientis: ergo eandem notitiam efficit supernaturalitatem.

Cæteris difficultatibus, eidem septimo Scripto a Summo Pontifice insertis, pari ratione satisfecit. Ad primam respondit, ac prolixè probavit, Molinam plane sentire, istam elevationem fieri a Deo intuitu eorumdem operum mere naturalium, quæ elevantur: quia licet bonitatem, ac meritum ex se non habeant, quibus Deum excitare, ac movere per sese possint; peccatorem nihilominus aptum reddunt, ut juxta Dei leges, a Molina confictas, gratiam prævenientem obineat, quam Deus, nisi prævenitibus hujusmodi actibus, elargiri non solet.

Ad Secundam respondit, multum tribuere, juxta Molinam: quia ille nullam elevationem supernaturalem fieri vult immediate in potentia per gratiam prævenientem; sed eam elevationem immediate fieri in actibus, ab homine sola facultate naturali incæptis; usque mediantibus excitari potentiam, alicui, & invitari ad producendum consensum, ut, ipsa jam consentiente, consensum ille per gratiam cooperantem supernaturalem evadat. Quamquam tamen non ea scrupulosius inquirenda esse, monuit, ut Pelagianus reus habeatur Molina; quia in eo præcisè Pelagianus error situs est, quod voluntas humana præcedat, & gratia subsequatur, sive sequatur in eodem numero actus, sive in diverso; sive in actu, sive in potentia.

Ad Tertiam respondit, nihil amplius assequi potentiam, quam ut hæc omnia facilius præstet. Idque permittit Molinæ testimoniis confirmavit, ac præsertim ex disp. 45. §. Accipe, ubi inquit: Dum homo, nondum ad finem supernaturaliter intentus vocatus, cogitat, & expendit res credendas, per notitias, Concinatoris ministerio, aut aliunde comparatas, influit Deus in eadem notitias influxu quodam particulari, & supernaturali, quo cognitionem illam adjuvet; tum ut lex melius, & lucidius Sery Tom. I.

(1) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Resolvit Congregatio, utramque sensum fuisse a Molina intentam; Deum scilicet ita se actibus humanis, elicitis ex sola facultate naturæ, inferere, ut eos elevat ad esse supernaturale: & illis etiam se inferre, ut naturam ipsam evehat, per internam nimirum excitationem, invitationem, & susceptionem, ut alios similes actus, supernaturales jam ex parte principii, eliciat; intuitu tamen præcedentium actuum, pro sola innata libertate ex bono naturæ elicitorum. Ita constat ex disp. 9. §. Hinc, & §. Patet deinde, & ex principio disp. 10. Item ex disp. 11. 20. 21. rursus ex disp. 9. §. Quod hæc, disp. 14. memb. 5. §. Quod ad totum, & §. Post hanc; sed explicatius disp. 45. §. Accipe, & alibi.

Utramque vero sensum in via Molinæ esse Pelagianum, ex duplici capite conclusum fuit: eo enim constituto, voluntas bona hominis præcederet, gratia vero subsequeretur, & subderetur humilitati, & obedientiæ humanæ gratiæ adiutorium, contra expressam definitionem Concilii Arausici. II. Can. 6. Et si actus, eliciti ex bono naturæ, eveherentur per gratiam ad esse supernaturale; cum tales actus non preceant, sed potius permanent, & persistentur, accedente gratia; exordium justificationis non inciperet a præveniente Dei gratia per Jesum Christum, hoc est ab ejus vocatione, sed ab illis actibus naturalibus, ordinatis ad finem supernaturalem: quod est contra doctrinam Concilii Trident. Sess. 6. cap. 5. ut aliquid haberet homo justificatus, quod non accepit; ut prior aliquid Deo daret, ut retribuereetur illi, contra Apostoli Pauli doctrinam.

Quod vero ad dubium tertium spectat, ex dictis a Molina in omnibus illis locis, in quibus exigit auxilium gratiæ prævenientis, ut actus sint, ut oportet, hoc est supernaturales, & commenturati fini supernaturali; Conclufum fuit, secundum doctrinam Molinæ, Deum, quando se inferit actibus humanis, hoc est cogitationibus bonis liberi arbitrii circa fidei mysteria addiscenda, & amplectenda, circa dolorem de peccatis, ac justificationem ipsam, solum illos evehere ad esse, & ordinem supernaturalem: quoniam in via Molinæ illi jam sortiti fuerant ex bono naturæ speciem, & bonitatem actus, attingerantque objectum supernaturale; & ita, inferendo se illis, Deus solum præstat supernaturalitatem ex parte principii, qua carebant: Quod est asserere juxta Pelagii dogma, Deum non nos adjuvare, ut velimus; sed ipse nos adjuvare, quia volumus.

Deinde. Resolvit Congregatio, in via Molinæ certum esse, Deum, inferendo se actibus humanis, & elevando naturam hominis, nihil aliud ei tribuere, quam ut facilius operetur actus istos, quos per vires proprias potuisset elicere, licet non tam facile; & hujusmodi actus, qui alias fuissent supernaturales ex parte objecti, ac naturales ex parte principii, per supernaturales ex principio, & ex objecto, quia scilicet eliciti sunt a potentia jam elevata a Deo, dum se inferit actibus, antecedentibus gratiam prævenientem: quod est Pelagianum.

Utrumque constat ex doctrina Molinæ. Primum quidem ex disp. 19. memb. 5. §. Ad secundum, & postea §. Ad primum, & ex disp. 8. in fine §. Quod ergo. Item ex quest. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. §. Ad primum. Secundum vero ex principio disp. 10. & ex aliis locis, superius relatis. Unde ad quintum dubium dictum fuit, secundum Molinam supernaturalitatem, quæ advenit actibus, jam elicitis ex facultate naturali, Deo se illis inferente per dona gratiæ prævenientis, nihil aliud esse, quam extrinsecam quædam denominationem, a qua actus ha-

expendatur, & penetretur; tum etiam ut notitia illa, jam limites notitiæ supernaturalis, & ad finem supernaturalem, in suo ordine, & gradu accommodato, attingat. Addit, Molinam verbis duntaxat negasse, actus supernaturales naturæ viribus eliciti posse; quandoquidem hominem naturaliter Divinis mysteriis certo assentiri posse, defendit, quatenus a Deo revelata sunt, adeo ut mortem pro ipso oppetere velit; eundemque de peccatis conteri posse propter Deum summe dilectum.

Ad Quartum respondit, multique probavit argumentis, supernaturalitatem juxta Molinam non esse per modum principii vere effectivi, nec recedere a lege, atque doctrina; cum mera invitatio sit, & excitatio voluntatis: immo nec naturali facultati potentiam conferre absolute, sed solum facilitatem agendi.

Post hæc, Bafidæ vindiciæ occupavit, quas & Molinæ principii plane repugnantes, & falsis suppositionibus nixas ostendit. In iis tamen confutandis non admodum immorandum existimavit; quod, iis etiam positis, ac statutis, Molinæ Pelagianismi revinci facile posset. Seu enim deliberatis, seu indeliberatis naturæ actibus inferat se Deus, ut eosdem illos, aut etiam potentiam ipsam ad supernaturalem ordinem evehat; consequens profecto est, Naturam incipere, & Gratiam sequi: qua in re Pelagianum errorem positum esse, nemo nescit.

Iis omnibus non pauca reposuit Bafida, Lemofio interloquente, & instante; illucque tandem disputatio venit, ut contenderent Molinæ Vindices, Deum, excitata semel per inspirationis gratiam voluntate, consensum hominis expectare ad justificationis gratiam conferendam: nullumque intrinsecum, & inherens principium supernaturale desiderari, quo voluntas supernaturales actus exeret. Quæ duo, uti manifestos errores, jam olim a Sacris Conciliis prædamnatos, Lemofius impugnavit.

Finem disputationi fecit Pontifex hora vigesima.

Judicium de septimo Scripto, antea controverso.

(1) Congregatio quadragesima celebrata est  
E e 2 die

die Sabbati, 13. Decembris 1603. hora 17. de inferione Dei in adibus nostris. Censuerunt omnes, Molinam ita docuisse, Deum se inferere adibus nostris, ut actus ipsos, elicitos ex facultate naturæ, supernaturaliter efficiat, adveniente gratia. Quando autem dicit, Deum eveniente naturam, intellexisse, alliciendo, & invitando, non autem mutando voluntatem; & hanc gratiam dari a Deo intuitu præcedentium actuum. Similiter gratiam dari ad facilius, in via Molinæ; & in ejus via, supernaturalitatem solum connotare extrinsecam quandam denominationem. Verum Pater Regens Collegii Carmelitarum censuit, hujusmodi propositiones Molinæ esse probabiles, & multorum Doctorem in Scholis. Absolvitur hora 20.

## CAPUT XXIX.

Quid quadragesima-prima Congregatione disputatum?  
Quid quadragesima-secunda definitum?

Die Martis, 20. Januarii 1604. præsentè Clemente VIII. habita est quadragesima-prima Congregatio, cui perinde, ac sequentibus Prædicatorum Generalis, Romam reversus, interfuit. Cæptum est disputari de octavo Pontificis Scripto: *An sit de expressa S. Augustini sententia, aut saltem de ejus mente, vel potius contra ipsius doctrinam, quod interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei sit, multum tamen pendeat a Libero Arbitrio ejus, qui vocatur? Item, quod interna vocatio fidelis ad penitentiam maxime pendeat a Ministris Ecclesiæ, atque a Libero Arbitrio?*

Bastida conclusio fuit, S. Augustini doctrinæ repugnare, ut vocatio ad fidem pendeat a libero arbitrio ejus, qui vocatur, tanquam a causa meritoria; etsi vocatio illa in altero genere causæ ab eo pendeat, quatenus in ejus potestate est, notitias rerum fidei comparare. Rationem assignavit, quia interna vocatio ad fidem de lege ordinaria pendet a prædicante, & ab auditu. Accedere ad prædicantem, audire res fidei, a libero arbitrio dependet: *Homini enim, subjunct, qui ignorat res fidei, quicumque ille sit, hæc ignorantia imputatur ad culpam, secundum Augustinum; quia negligit querere, quod ignorat: ergo in potestate cuiuslibet hominis est, querere, quod ignorat; nemo enim dicitur negligere facere id, quod in sua potestate non est.*

Primum illam proposita quæstionis resolutionem, Molinæ principis consentaneam ostendit. Quin immo tantam illius moderationem fuisse, ait, ut quamvis absque erroris periculo affirmare potuisset, accessum illum ad prædicantem, præstitumque fidei auditum, ab uno arbitrio, solis naturæ viribus operante, proficisci; id tamen nupiam asseruerit, aut leviter indicavit. Quid enim, inquit, si id ab arbitrio pendere dixerit; cum & illa ab arbitrio pendere dicantur, ad quæ cum Divina Gratia concurrunt?

Effugium hoc præclusit Pontifex. Aliud est, inquit, concurrere; aliud dependere: nam dependere significat prioritatem ejus, a quo dependet: at concurrere quis potest, etsi prius natura non præcedat aliquid, quod faciat, illum concurrere. Reposuit Bastida: Dependere, & concurrere in agente libero idem est; quia si non vult, non pendet ab eo: suamque respon- sionem adversus Archiepiscopi Armachani crimi-

habent, ut sit ultima dispositio ad gratiam justificantem, & commensuretur fini supernaturali, ut patet disp. 8. §. Hic etiam. Veram secundum doctrinam S. August. contra Pelagianos, & eorum reliquas traditam, omnino tenendum est, voluntatem hominis a Deo preparari per quæ esse potissimum illius effectum, quem Molinæ non

nationes, qui eam exemplo Semipelagianismi im- simulaverat, ex Augustino confirmare conatus est.

Tum ad alteram propositæ quæstionis partem gressum fecit, pro cuius defensione secundam istam conclusionem posuit: *Res est in se, & apud Augustinum certissima, Internam excitationem peccatoris ad penitentiam pendere quam maxime a Ministris Ecclesiæ, & a Libero Arbitrio: quia ii media sunt, ac veluti instrumenta, quibus Deus ad excitandos peccatores uti solet: eorumque consilia, adhortationes, colloquia audire, ac meditari, unicusque liberum est.*

Oppositam viam inivit Thomas de Lemos. Quamplurimis Augustinianæ doctrinæ principii demonstravit, internam vocacionem ad fidem ab ejus, qui vocatur, arbitrio minime pendere. 1. Quia non præcedit hominis voluntas, ut ei Divina gratia conferatur; sed ipsa interna vocatio gratia prima est. 2. Quia, cur unus vocetur, alter non vocetur, nulla potest ratio assignari; aperta vero reddi potest, si a Vocatorum arbitrio interna vocatio penderet. 3. Quia nemo potest sibi tribuere, quod vocetur. 4. Si, fatente Molina, interna vocatio Dei donum est, a nobis utriusque non pendet; hæc etenim duo maxime pugnant, dicente Apostolo: *Gratia salvati estis per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.*

Non absimili modo de excitatione peccatoris ad penitentiam pronuntiavit: eam ab Ecclesiæ Ministris nullo pacto pendere. Licet enim sacra ministeria antecedere soleant, non ab iis tamen pendere vocatio censenda est, sed a gratia Dei, cuius providentia Ministri mituntur; dicente eodem Apostolo: *Quid igitur est Apolo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis; & unicuique sicut Dominus dedit.*

His ita constitutis, primam Adversarii conclusionem impetere cepit; internamque vocacionem ad fidem secundum hominis merita fieri, demonstravit, si a prævisi liberi arbitrii conatibus pendere supponatur. Ex concessis in superiori Disputatione argumentum petit: *Reverendè Patres, inquit, in Congregatione præcedenti dixerunt, quod tunc gratia dabatur intuitu operis naturalis præcedentis, quando illa opera erant libera; & cum aliqua bonitate morali; & tunc gratia dabatur ex meritis. Sed secundum Molinam opera, a quibus pendet interna vocatio ad fidem, sunt bona vocaliter, & libera: Ergo interna vocatio ad fidem datur intuitu eorum operum, & ex consequenti pendet illa interna vocatio ab illis, sicut ex meritis.* Respondit Bastida: *Nunquam ego admisi illam propositionem, quam asseris a nobis fuisse concessam.* Institit Lemos: *Immo illam admisi, & in ea fundasti rotam tuam responsum ad hoc, quod ideo Molina non constituebat, Gratiam dari, intuitu operum præcedentium, quibus Deus se inferebat, quia illa non erant actus liberi, nec habentes bonitatem: de quo me remisit ad acta.* Reposuit Molinæ Patronus: *Dixi, quod inter requisita ad hoc, quod aliquid detur, ex meritis, unum est, quod opus sit liberum, & habens bonitatem moralem: sed non sequitur, quod hoc tantum sufficiat. Acrius insediatus est Actor: Tunc dixisti, quod gratia dabatur intuitu operum, quando illa opera erant bona, & facta libere: & vere quidem tunc dixisti, quod modo negas. S. enim Augustinus dicit, Quod si præcedit hominis voluntas, gratia datur, quia volumus, & intuitu talis operis.*

Majoris hic controversiæ occasio suborta est; contentente Lemosio, juxta Augustinianæ doctrinæ

næ principia, gratiam vocacionis secundum meritum datum iri, si vel imperfecta voluntas, vel cupiditas boni necessario præterit; Bastida e contra propugnante, id verum duntaxat fore, si vera pietatis, ac fidei opera antecederent. At ubi eos inter aliquandiu altercatum fuit; Undenam haberet homo, quod ad audiendum Evangelium accederet animo credendi, & amplectendi veritatem? nec satis expedite huic quæstioni Bastida satisfacere, difficultatem audacius perripuit Joannes de Salas, Nullam ad id gratiam interiori desiderari, asserens, solamque externam abunde sufficere.

Responsionis audaciam temperavit Sodalitatis ejus, Gratiam prævenientem desiderari, constanter asseruit, eamque etiam a Molina admittam, dixit, ut liberum arbitrium eos actus ederet, a quibus internam vocacionem pendere, docuerat; verum nihil id Molinæ vindicando prodesse, sed falsa suppositione niti, Lemosio ostendit. Certe, si Molina in nona Concordiæ suæ disputatione docet, Liberum Arbitrium, cui Deus gratia prævenientis, & excitantis auxilia solito non confert, nisi prævia mysterioſiori notitia, posse accedere ad audiendum Dei verbum animo vero addiscendi, & amplectendi veritatem, ut hanc sibi notitiam comparet; qua ratione ex auxilio prævenientis gratiæ accedere supponetur? Rursus, si, juxta Concilium Tridentinum; ac Molinam ipsum, vocatio ad fidem prima omnium gratia est; qui fieri potest, ut ii liberi arbitrii actus, a quibus vocacionem pendere, Molina finxit, ex alia antecedente gratia fobolescant?

Quapropter, laqueum ut effugeret, duplicem primam gratiam distinguit Joannes de Salas: unam, qua homines vocantur ad fidem; alteram, qua ad opera bona moralia incitantur. Etsi enim, inquit, ea per sese liberum arbitrium edere possit; ad illa tamen edenda interdum excitatur a Deo. Ex quo intulit, hujusce secundi generis gratiam antecedere vocacionem primam, atque ad eam removere, & per accidens disponere. Divericulum præclusit Thomas de Lemos hoc argumento: Si hujusmodi gratia, ad opera moralia excitans, per accidens tantum disponit ad vocacionem, potest igitur absolute dari vocatio sine illa; quod enim per accidens est, potest non esse: ergo tunc saltem vocatio pendebit a libero arbitrio, nulla omnino gratia prævento.

Sensit difficultatis pondus Ferdinandus de Bastida: ideo Sodalitatis sui neglecta solutione, doctrinæque Molinianæ principii plane dimissis, respondit, gratiam illam per se disponere ad vocacionem primam. Quod ut Lemosio audivit, in utrumque converso sermone: *Patres, inquit, convenientis in sententia: nam unus dicit, Gratiam per se disponere; alius dicit, per accidens.*

Mirum quot subinde quæsti circuitus, quot antractus, ne tam ab invicem, quam a Molina ipso discissi viderentur! At periculosam stationem diu tenere, difficile fuit. Ideo quæstionem alio divertit Ferdinandus de Bastida; eaque leviter attingit, quæ initio disputationis ex Augustinianæ doctrinæ principii Lemosio statuerat. Cæterum, dum ad cohonestandam Molinæ sententiam venit,

qua internam vocacionem ad penitentiam a Libero Arbitrio, & Ecclesiæ Ministris pendere, docet, objectit Pontifex: *Causa principialis secundum vos pendet ab instrumentis, & a causa minus principali; nam Deus non vocat interiori, nisi præcedat id, quod est ex parte Liberi Arbitrii, & Ministrorum, secundum Molinam; Cui ille: Duplitem consideratur vocatio Dei. Primo, ut est causa, & ita pendet a solo Deo, & non a libero arbitrio, vel Ministris. Secundo, ut est effectus; & ita pendet a Deo, & Libero Arbitrio. Siquæ disputatio finita est.*

## Judicium de Quæstione agitata.

(1) Congregatio quadragesima-secunda celebrata est die Mercurii, vigesima-prima Januarii, Censuerunt omnes, propositionem Molinæ (*Vocatio Dei interna ad fidem, & excitatio ad penitentiam multum pendeat a Libero Arbitrio*) non esse secundum doctrinam S. Augustini, neque ex illa deduci: excepto D. Episcopo Aquilano, qui censuit, hanc propositionem non esse contrariam S. Augustino. Pater vero Regens Collegii Carmelitarum dixit primo, hanc propositionem, si intelligatur de prima gratia vocacionis, esse Semipelagianam. Verum Molinam non intellexisse de hac prima gratia vocacionis, sed de effectu vocacionis: & tunc sine periculo posse dici, quod pendeat a libero arbitrio, non præcise sine gratia aliqua, sed supposita Divina providentia dirigente. Absolvitur præsentis Actio hora decima-nona.

## CAPUT XXX.

Quid quadragesima-tertia Congregatione disputatum?  
Quid quadragesima-quarta definitum?

Die Lunæ, 16. Februarii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio quadragesima-tertia; in qua Prædicatorum nomine disputavit Didacus Alvares, ob ægram Thomæ de Lemos valetudinem. Actum est de secundo Scripti octavi Articulo: *An sit de expressa sententia S. Augustini, aut saltem de ejus mente, vel potius contra ejus doctrinam, quod dum sumus in via, semper in manu Liberi Arbitrii sit nostra salus; perque nos ipsos stet, quod ad Deum non convertamur?*

Quæstionem affirmate definivit Ferdinandus de Bastida: quam, nulla variorum, quibus obnoxia est, sensuum præmissa distinctione, congestis S. Augustini, aliorumque Patrum, ac Theologorum testimoniis, confirmavit. Ea in primis protulit, quibus S. Doctor salutem in potestate nostra positam affirmat; nec aliud a nobis ad sanitatem obtinendam desiderari, nisi ut velimus. 2. Ea, quibus culpam imputari homini decernit, si peccata non vitet. 3. Ea, ubi gratiam ad conversionem præsto nobis semper esse docet. 4. Ea, ubi per Deum non stare, ait, quomiam sanemur, & convertamur. Ex quibus omnibus consequens esse voluit, salutem in manu Arbitrii positam esse. Di-

(1) Ex Actis Secretarij. At in Compendio sic: Resolvit Congregatio, Molinam in disput. 9. §. Patet tertio, & seq. quando dicit, internam Dei vocacionem ad fidem, & internam excitationem fidelis ad penitentiam, quam maxime pendere a Libero Arbitrio ejus, qui vocatur, & excitatur, locutum fuisse de prima vocacione Dei interna, antecedente omnem aliam gratiam prævenientem supernaturalem; & similiter de prima interna excitatione fidelis ad penitentiam. Quod est contra Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5. & contra S. August. in Epist. ad Vitalem, lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. 19. lib. De dono persever. c. 8. & lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. ac sæpe alias.

Ex quorum omnium inspectione, & matra consideratione conclusum fuit, prædictam Molinæ Propositionem adversari expresse doctrinæ S. Augustini, & continere manifestum errorem Pelagianorum, & Semipelagianorum.

Dixit pro aduersa parte Didacus Alvares. Præmisit duplicem questionis sensum: unum: An ita, dum sumus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita sit nostra salus, quod hæc potestas sit in nobis accepta ex auxilio gratiæ, siue ab ipso Deo, qui misericorditer, quibus vult, & quando vult, hæc tribuit potestatem? Alterum, ita ut hæc potestas primo incipiat a nobis, vel sit in nobis, quatenus videlicet facimus, quod in nobis est, per naturalem facultatem arbitrii? Hinc triplicem statuit, ac probavit conclusionem.

Prima Conclusio. Juxta mentem Sancti Augustini, & secundum Catholicam doctrinam asserendum est, quod, dum sumus in via, in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus; si intelligatur de potestate, accepta a Deo ex dono gratiæ: ita quod, si Deus homini per suam gratiam semper tribuat hæc potestatem, in manu arbitrii sui erit semper ejus salus: si autem non tribuit illi semper hæc potestatem, non erit semper posita salus in manu arbitrii ejus, sed quando Deus voluerit, illi hæc potestatem dare.

Secunda Conclusio. Afferere, quod ea ratione, dum sumus in via, semper in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus, quia, si fecerit homo, quod in se est, prælo illi aderit Deus, ut fidem, & gratiam consequatur, pertinet ad errorem Pelagianorum, & Semipelagianorum. Neque in hoc sensu asserit unquam S. Augustinus, quod semper, dum sumus in via, in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus: neque id ex dictis ejus colligitur; sed potius oppositum.

Tertia Conclusio. Molina in sensu Pelagianorum, & Semipelagianorum, ab Ecclesia Catholica, & S. Augustino damnato, sæpius asserit, quod, dum sumus in via, semper in manu Arbitrii nostri posita sit nostra salus. Hunc Porro Pelagianum sensum, in hæc famosa Molina propositione situm, observavit: *Intra leges, quas tam ipse, ( seu Christus ) quam Pater æternus statuerunt de auxiliis, & donis, que nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conauerimus facere, quod in nobis est, prælo nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficiemus: ut ea ratione, dum essent in via, semper in manu Liberi Arbitrii nostri posita esset salus nostra, perque nos ipsos fieret, quod ad Deum non converteremur.*

Tum, juxta statutos controversiæ sensus, objecta Augustini loca interpretatus est Alvaresius. Testimonis, primo in ordine laudatis, Semipelagianos, non secus ac Baftidam, insigniter abusus ostendit; suos ut errores tanti Doctoris suffragio tuerentur. Quibus propterea id unum reponendum monuit, quod libro I. Retract. cap. 10. reposuit Augustinus: *Quod omnes homines salutem consequi possint, si velint; non existentem nobis heretici Pelagiani, secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint; sed preparatur voluntas a Domino: & tantum augetur numerus caritatis, ut possint.*

Quæ secundo in ordine laudabantur, admisit ultro; sed nihil inde sequi, ait, ad Molinianum signum obrudendum; quia fat est, si homo peccata per gratiam vitare possit: cum præfer-

( I ) Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Supposito, hæc propositionem habere duplicem sensum; unum Catholicum, quem amplexus est, & docuit S. Augustinus contra Pelagianos, & eorum reliquias, videlicet in potestate nostra esse salutem nostram, seu esse in potestate nostra salutem consequi, quia Deus dono gratiæ suæ misericorditer nos prævenit, interius excitando, & suadendo ad bonum, piratas etiam dare vires efficacissimas volun-

tum nativam illam peccati vitandi impotentiam vicio suo, saltem Originali, contraxerit.

Tertii ordinis testimonia diluit in hunc modum: „Deus pro loco, & tempore misericorditer tribuit peccatoribus auxilium sufficiens, quo salvari possint, si velint: non tamen illud tribuit ea ratione, quia prius homo fecit, quod in se erat, ex facultate naturæ, ut dicit Molina. Neque illud tribuit semper, ita ut revera homines recipiant in seipsis, & sentiant hujusmodi auxilium; non enim pro quolibet momento temporis actu excitantur a Deo, & moventur ad bonum, ut experientia docet, & patet in dormientibus, & illis, qui multo tempore nihil cogitant de salute sua. Ad illud autem, quod obijcebat, quia nullus datur peccator in hac vita, qui salutem consequi, & ad Deum converti non possit; Respondeo, hoc esse verissimum, quia semper potest Deus misericorditer movere quemcumque peccatorem, existentem in via, ad poenitentiam, & illum convertere secundum legem ordinariam; & liberum hominis arbitrium, quando vivit in hoc sæculo, semper est flexibile in bonum, & in malum; & Passio Christi, ac misericordia Dei est sufficiens ad delendum quodcumque peccatum viatorum. Quod quidem non habet locum in damnatis; quoniam secundum potentiam Dei ordinariam neque habent, neque habere possunt aliquod auxilium Dei supernaturalis; & liberum eorum arbitrium, quia sunt in termino, est inflexibile ratione statui.

Ad testimonia, ultimo loco objecta, respondit, ideo non stare per Deum, quominus sanemur, & convertamur; quia nusquam sanitas, & conversionis gratiam negat Deus, nisi in peccatorum nostrorum poenam: quo fit, ut defectus gratiæ causa prima ex nobis sit, uti statuit D. Thomas I. 2. q. 112. a. 3. ad 2.

Pauca in oppositum reposuit Ferdinandus de Baftida. Nusquam a Molina negatum, dixit, quin salutis obrinenda potestas homini ex solo Dei adjutorio inesset. Probandum nihilominus sibi fumpsit, eam inesse homini potestatem, quia unicuique, pro nativis viribus adnitenti, gratia confertur. Quocirca Concilii Senonensis definitionem in Decreto fidei XV. egregie extulit. Neque tamen tante gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio: cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo non stet ad optium, & pulset. Cui semel, iterumque subjungit Alvaresius, Deum sua ipsius ingenta bonitate prælo quidem semper esse, ut gratiam homini largiatur, nisi in Originalis peccati, aliorumque præcedentium delictorum poenam desertionis meritum contraxisset. Cæteroquin tamen Concilium Senonense Molinianum, ac Pelagianum Dogma nusquam tradidisse: ideo scilicet gratiam homini conferri, quod prius naturæ viribus fecerit, quod in se est.

Baftida durius visum fuit, gratiam sufficientem in Originalis peccati poenam interdum homini denegari: quare in eam sententiam acris declamavit. Cui cum Alvares repetitis interloquutionibus satisfecisset, congressus, dato signo, solutus est.

Judicium de superiori Propositione controversa.

( I ) „Congregatio quadragesima-quarta cele-

## CAPUT XXXI.

Quid quadragesima-quinta Congregatione disputatum? Quid quadragesima-sexta definitum?

brata est die Lunæ, 17. mensis Februarii 1604. An sit de mente S. Augustini, quod, dum sumus in via, semper salus nostra sit in manu consilii nostri, & per nos ipsos stet, quod non salvetur?

Censuit Congregatio, expendendo hæc propositionem, prout asserit a Molina, ejus proprium, & genuinum sensum, ab auctore intentum, esse, quod, dum sumus in via, ea ratione in manu consilii nostri est nostra salus, quia si ex solis viribus naturæ fecerimus totum, quod in nobis est, gratiam infallibiliter consequemur ex certa lege, per quam operemur, ut ad salutem oportet: & consequenter idcirco per hominem stare, quod salutem non consequatur, quia vel non facit totum, quod potest, ut iustificetur, vel Deo vocanti, & moventi etiam efficaciter, ita resistit, ut voluntate sua prævaleat contra Gratiam Divinam, & fortior sit in resistendo pro sua libertate, quam Deus in movendo. Putavit enim Molinam, hominem pro sua libertate innata posse efficaciter reddere auxilium Gratia Divinæ, licet alias tantum esset sufficiens; & inefficax, & cassum, quodcumque, & quæcumque illud sit.

Conferendo deinde istam propositionem cum doctrina S. Augustini, sub isto sensu, a Molina intento, resolvit Congregatio, non esse de mente S. Augustini prædictam propositionem, ut sic ab illo asserat, sed potius doctrinæ illius omnino contrariam, & Pelagii dogmati quoad utramque partem maxime consonam. Sic enim & initium justificationis esset ex nobis, & liberum arbitrium hominis lapsi tam potens esset ad procurandam salutem suam, saltem radicaliter, quam est ad peccandum. Quibus addebatur, Molinam in secunda parte propositionis, quatenus putat, perire libertatem arbitrii, si statuatur talis Gratia ex se efficax, quam homo cassam non reddat, maxime favere hæreticis nostri temporis. Approbat enim istam consequentiam: *Gratia est efficax virtute sua, & prout a Deo venit; erga homo non agit libere. Quo semel admisso, frustra per tot annos contra Lutheranos, & Calvinistas laboratum esset a Catholicis; cum illis facile sit probare ex Divinis Scripturis, Gratiam efficacem esse ex Divina virtute. Cui tamen communi omnium judicio non acquieverunt D. Episcopus Aquilanus, & P. Regens Collegii Carmelitarum, putantes, prædictam propositionem non esse alienam a mente S. Augustini. Absolvitur præfens Actio, hora decima octava.*

luntati ad operandum, nisi Divinæ Gratia prævenienti resistat; alterum vero Pelagianum, nimirum ea ratione, dum sumus in via, semper in manu Arbitrii nostri positam esse salutem nostram, quoniam per bonum illius usum ex solis viribus naturæ, desiderando, petendo, quærendo, pulsando, fidem & gratiam consequamur.

Resolvit Congregatio, Molinam non in sensu Catholico, sed in Pelagianum asseruisse prædictam Propositionem, ejusque proprium, & genuinum sensum, ab Auctore intentum esse: Quod, dum sumus in via, ea ratione in manu nostri consilii est salus nostra, quia, si ex solis viribus naturæ faciamus totum, quod in nobis est, infallibiliter, & ex certa lege gratiam consequemur, per quam operemur, ut ad salutem oportet; & consequenter idcirco per hominem stare, quod salutem non consequatur, quia vel non facit totum, quod potest, & moventi etiam efficaciter, ita resistit, ut libertate sua prævaleat contra efficaciam ipsam, vel Deo vocanti, & moventi etiam efficaciter, quam Deus in movendo pro sua misericordia, & fortior sit in resistendo pro sua libertate, quam Deus in movendo pro sua libertate, & in præbendo vires efficacissimas voluntati. Putavit enim Molinam, hominem pro sua innata libertate posse efficaciter reddere auxilium Gratia Divinæ, licet alias tantum esset sufficiens, siue sufficiens; & e contrario, inefficax, & cassam reddere quodcumque, & quantumcumque auxilium Gratia; neque aliter posse salvam consistere humanam libertatem. Quod ex innumeris penè locis Concordiæ demonstratum est.

De Lunæ, 22. Martii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio quadragesima-quinta. In disputationem venit tertius Scripti Articulus: *An sit expressa sententia S. Augustini, vel saltem de ejus mente, an potius contra ejus doctrinam, quod Deus leges ordinarias donorum suorum, adultis distribuendorum, magna ex parte usui Liberi Arbitrii accommodaverit?*

Distinxit Ferdinandus de Baftida duplicem controversiæ sensum. Primum: An ordinarias donorum distribuendorum leges usui liberi arbitrii accommodaverit, hoc est, ut nunquam per illa ladatur liberi arbitrii usus? Secundum: An eas accommodaverit antecedenter, seu, an ita dona sua adultis conferenda statuerit, ut hujus collationis executio magna ex parte fiat mediis, ac præsuppositis liberi arbitrii actibus, qui distributionem illam aliquo modo antecedant? Questioni utroque modo acceptæ affirmatè satisfecit: præmissaque donorum distinctione, quæ justificationem vel antecedant, vel subsequantur, singulas partes proluxa liberi arbitrii commendatione profecutus est, oppositamque Prædicatorem doctrinam Calvinismi non semel insinulavit.

Non absimili modo, duos controversæ propositionis sensus præmisit Thomas de Lemos, juxta quos Molina illam Divinorum donorum accommodationem toto passim Concordiæ libro defenderat. Primum hunc esse, monuit: *Quod Deus accommodat dona sua usui liberi arbitrii adultorum, dependenter ab ipso, expectando prius usum liberi arbitrii; ita quod, nisi opera bona, ex libero arbitrio facta, præcedant, non solum Deus dona gratiæ sua conferre. Alterum, quod Deus accommodat dona gratiæ suæ usui liberi arbitrii adultorum, subdendo ipsa dona gratiæ suæ usui ipsorum; ita quod liberum arbitrium pro sua innata libertate utatur donis gratiæ, ut liber, siue in unam, siue in alteram partem inclinando, siue illa dona gratiæ efficaciam constituendo per consensum, siue inefficaciam, & cassam omnino ea reddendo per dissentium. Utrumque vero accommodationis modum Pelagianum esse, demonstravit, multis in hunc finem Augustiniane doctrinæ principiis adductis: aliumque omnino statuendum, ostendit, quo gratiæ libertas, non gratia libertati subjicitur: *Non ut agamus innata libertate, quod volumus, sed quod Deo placeat, impleamus, idque ipse operetur in nobis.**

Brevior solito fuit Vir eruditus in consultandis Baftidæ fundamentis: quod in una liberi arbitrii commendatione totus hæssit, quasi non illud Divinæ Gratia Vindices nobiliori titulo tuerentur. Ostendit, Patres Societatis, Pelagianorum more, liberum arbitrium præfens defensionis titulo

tulo reipſa perimere; nihilque aliud aditi, niſi ut, horribili hæreſi Prædicatoribus objecta, cujus ſe adverſarios eſſe conſingunt, lateant inimici Gratiæ in laude naturæ. Illos, horribili hæreſis ſicitioſos impugnatores a ſe merito dictos, offendit; quippe qui fanaticas Calvinistarum illationes non admittant modo, ſed uti Catholica dogmata tueantur. Quocirca Lovaniensis Academiae judicium, jam olim in vigefima ſeptima Congregatione laudatum, denuo protulit.

Baſtidam male habuit ea Lovaniensis Cenſuræ commendatio. Miror, inquit, quod Reverendus Pater in conſpectu Sanctitatis Veſtræ produxerit in hac materia Lovaniensis; cum ab hac Sancta Sede fuerit eis impoſitum ſilentium, quia injuſte accuſabant Patres Societatis de quibusdam propoſitionibus doctrina ſua. Lemſio quoque ſuccenſit, quod Divina dona eo ſenſu, ſecundum Molinam, liberi arbitrii uſui accommodari, ſuppoſuiſſet, ut, niſi opera bona, ex libero arbitrio facta, præcedant, non ſoleat Deus gratiæ ſua dona conferre. Id enim a Molina nuſquam aſſertum, contradicente licet Pontifice, pertinaciter defendit: atque in hoc uno ſententiam ejus poſitam voluit, non ſolere Deum gratiam elargiri, niſi rerum fidei notitiæ ſupponantur.

Utramque criminationem diluit Thomas de Lemos. Primam ita retudit: Quod dixiſti, indignum eſſe, quod in conſpectu S. D. N. aſſeratur Cenſura Patrum Lovaniensis, certe miror, quod hæc audeas proferre, cum nihil fuerit ab hac Sancta Sede contra eos definitum: nam per illam Bullam tantum impoſitum fuit ſilentium Patribus illis, & vobis etiam, ne de propoſitionibus ſanae fidei eſſet controverſia. Non ait, veſtras propoſitiones fuiſſe ſanae fidei, ſed controverſias ſuper rebus ſanae fidei. Et ideo præcipitur utriſque partibus, ut, datis eorum rationibus ſedi Apoſtolice, expectent, quæ ab ea fuerit definitum. Sed quare iſti Patres non adducunt Bullam Sixti IV., qua damnavit Doctorem Petrum Rivium, qui negabat contingentiam rerum propter efficaciam Divini conſuſus. Ex qua videtur pariter damnari ſententiam horum Patrum, qui putant, per efficaciam Gratiæ antecedentem tolli libertatem arbitrii. Utebatur autem principio fundamentali Patrum Societatis; videlicet, quod præſuppoſita aliqua ſuppoſitione antecedenti, ex qua inſalubriter ſequitur, hominem operari, tollitur contingentia. Hanc propoſitionem referunt Patres Lovanienses, & dicunt, damnatam fuiſſe a Sixto IV. & ego ſeci maximam diligentiam pro inveniendi illa Bulla in hac alma Urbe; ſed inveni tantum omnia acta hac de re; non tamen inveni Bullam.

Alteram Baſtidæ criminationem, produciſis Molinæ locis, occupavit: ubi nullam internam vocationem ad fidem, & poenitentiam ſolito fieri, decernit, niſi prius homo liberi arbitrii viribus ad audiendum accedat, animo vere intento, & ad addiſcendum comparato: quæ ſane inter opera bona, & libera computanda eſſe, nemo neſcit. Subjunxit alia non pauca, ad exponendam Gratiæ per ſe efficaciam cum libertate concordiam: quibus omnibus dum identidem interloquendo reponerent Societatis Defensores; de negatione gratiæ ſufficientis ultimo tandem fermo fuit. Qua de re ſic pronuciavit Thomas de Lemos. Certum eſt non dari dari auxilium ſufficientis, ad

(1) Ex Actis Secretarii. Non interfuit D. Episcopus Aquilanus. In Compendio ſic: Reſolvit Congregatio, ſenſum hujus aſſertionis, de qua queritur, in via Molinæ eſſe, quod Deus ita accommodaverit leges donorum fuorum, adultis diſtribuentibus, uſui liberi arbitrii, ut illorum collatio pendat ab uſu liberi Arbitrii, antecedente ipſa dona gratiæ; quia ſcilicet, ſi homo ex ſolis ſuis viribus, pro innata ſua libertate fecerit prius, quod in ſe eſt, Deus inſalubriter, ex lege a ſe condita, illi dabit gratiam, auxiliave, quibus operetur, ut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; hoc eſt, ſupernaturaliter, meritorie, & commensurate ad vitam æternam: & hunc ſenſum neque eſſe ſecundum expreſſam ſententiam S. Auguſtini, neque ex ejus doctrina ullo modo poſſe deduci, ſed potius adverſari omnino doctrinam, ab illo traditam contra Pelagium, & ejus ſectatores.

nolentium facere, quod in ſe eſt, quem Deus non vocet, & gratia ſua præveniat. 4. Quia defendit, in hacce communi humana naturæ corruptione vix ullum eſſe, qui in Deo cognoscendo, atque colendo præſtet, quod in ſe eſt. Molinæ locum, in propoſita quaſtione objectum, expoſuit, atque, nomine eorum, quæ neceſſario antecedunt, ut vocationis gratia conferatur, intelligendos non eſſe actus hominis factis, quod in ſe eſt, ſed actus Miniſtrorum Eccleſiæ, ipſiſque liberi arbitrii, quibus phantaſmata, & notitiæ rerum fidei acquiruntur, vel pia cogitationes excitantur. Quantum porro duo hæc inter ſe diſſent, exemplis Pauli, & Corneliſi manifeſtum fecit: prior enim ante vocationem habuit notitias rerum fidei; nec tamen ante vocationem fecit, quod in ſe eſt; alter e contra ante vocationem fecit, quod in ſe eſt; nec tamen notitias rerum fidei habuit, niſi ſubſecuta Petri prædicatione. Idem ratione offendit: quia actus, per quos homo facit, quod in ſe eſt, ſunt liberi, boni, difficiles, & rari; actus e contra, quibus notitiæ rerum fidei acquiruntur, poſſunt eſſe neceſſarii, ut dum aliqui ad audiendos Prædicatores compelluntur: mali, ut dum quis irridendi, aut impugnandi animo Concionatorem adit, aut librum ſacrum evolvit: faciles demum, ac frequentes; nihil quippe adeo facile eſt, adeo frequens, quam viros de rebus fidei differentes audire, aut editos ab eis libros legere.

In aciem deinde veniens Thomas de Lemos præmiſit, jam fatiſ ea de re ſuperiori Congregatione dictum eſſe, adeoque pauca ſe, ad novas Societatis Deſenſorum trias diſſipandas, additurum. Tria a Molina aperte aſſerta demonſtravit. 1. Non ſolere Deum gratiam conferre, niſi opera libera, atque ex ſola facultate naturæ facta, præcedant; ut vocatio libera ſit, & laude digna. 2. Deum ordinarie præexigere liberi Arbitrii cooperationem, ut gratiam prævenientem largiatur. 3. Deum ex certa lege gratiam prævenientem conferre, quoties homo facit, quod in ſe eſt.

Ut autem quæcumque Molinæ Vindices in ejus deſenſionem protulerant, efficacius occuparet, offendit ex diſp. 9. §. Pater tertio, & ſequentibus, Molinam non modo phantaſmata, ſpecies, ſive nudas rerum fidei notitiæ, interiori vocationi præexigiſſe; verum etiam actus liberos, moraliter bonos, quibus vel notitiæ ſibi homo comparat, res Divinas æquo animo legendo, & audiendo; vel poſt formatas, & acquiſitas notitiæ, iſdem illis bene utitur, expendendo, & conſiderando, quæ ſibi ab iſis proponuntur. Eſt vero quotquot notitiæ acquirunt, non agant, quod in ipſis eſt; id tamen proſeſſo agunt, quicquid eſt eo modo comparant: ſic enim nec coacte, nec perverſe, ſed libere, ac debite comparare cenſendi ſunt.

Hiſ ita conſtitutis, objecta facile diluit. Reſpondit ad primum, Molinam in Chryſoſtomo non damnari, quod gratiam naturaliter adnitentibus conferri diceret: ſed quod initium fidei in nobis eſſe contenderet; quia licet ex Moliniano dogmate id aperte ſequeretur; confeſſionem tamen negabat Molina, ne ſe Semipelagianum omnino proderet. Ad cætera momenta dixit: Hæc alicujus fore roboris, ac momenti, niſi alias perſpicuum eſſet, Molinam, non fecus ac Caſſianum dupli-Serry Tom. I.

(1) Ex Actis Secretarii. At in Compendio ſic: Reſolvit Congregatio, Pelagianum eſſe aſſerere, Deum effectualiter exigere ab homine, ut prius faciat, quod in ſe eſt, ex ſolis viribus naturæ, quam illi fidem largiatur: & Molinæ ſententiam eſſe, quod Deus regulariter exigat ab homine, ut reipſa faciat, quantum in ſe eſt, ex ſolis viribus naturæ, priuſquam interiori vocetur ad fidem: neque aliter, quod ad iſtorum portionem attinet, niſi præſentem naturam, conſueviſſe Deum illis fidem, & gratiam conferre. Ita conſtat ex deducit circa Concluſionem quartam, & ex pluribus aliis Conſuetudinæ locis.

cem. Vocatorum ordinem diſtinxit: alterum, eorum, qui faciendo, quod in ſe eſt, Deum præveniunt; qui propterea libere operantur: alterum eorum, qui omnino præveniuntur a Deo; qui idcirco eo in actu, quo a Deo præoccupantur, libere non agunt. Hac enim poſita diſtinctione, utrumque perinde ſtare poſſet: nempe, quod Deus ordinarie ſecundum communes leges vocandi ad fidem cum libertate, exigat, ut prius homo faciat, quod in ſe eſt, ut ad fidem libere vocet: & quod idem Deus, ea vocatione, quæ libera non eſt, ipſos etiam venientes vocet ad fidem.

Inſtitit nihilominus Baſtida, priſtinumque inſtitutum proſecutus eſt. At, uti nihil novi dixit, quod antea occupatum non eſſet, ita nihil novi a Lemſio reſponſum fuit. Pauca duntaxat obiter addidit Baſtida de gratia præveniente, quam, juxta Concilii Tridentini expoſitionem, a Molina admiſſam dixit. Cui Thomas de Lemos: Ponit quidem Molina gratiam prævenientem: ſed cum ea ſit talis, quæ inſtat tantum, allicit, & excitat voluntatem, non autem voluntatem convertit, non recedit a lege, & doctrina; ac propterea non eſt illa gratia efficaciæ, de qua Sacrum Concilium Tridentinum loquitur.

Tum Baſtida: quod hæc gratia, quam ponit Molina, non ſit gratia efficaciæ, phyſice prædeterminatæ voluntatem, eſt veriffimum. Sed ſi de hac loquatur Concilium Tridentinum, & ſi eam negare ſit error, alias loquimur; cum S. D. N. placuerit, ut de hac re diſputemus. Svo dicto diſputationem abſolvit.

#### Judicium de Quaſtione ſuperius diſputata.

(1) Congregatio 48. celebrata eſt die Veneris, 23. menſis Aprilis poſt horam 13. anno Domini 1604. Reſolvit Congregatio, iſtam propoſitionem: Deus effectualiter exigat ab homine, quod prius faciat, quod in ſe eſt, ut ei fidem, & gratiam largiatur, non eſſe conſonam doctrinæ S. Auguſtini; ſed ab ea equam longiſſime diſcedere, & continere errorem Pelagianorum: Molinam vero in ſenſu Pelagiano illam docuiſſe, ut ex pluribus locis illius Conſuetudinæ, ad invicem collatis conſtat. Nihilominus tamen D. Episcopus Aquilanus cenſuit, propoſitionem eſſe Pelagianam; ſed addidit, ſibi non conſtare, quod Molina illam aſſeruerit. Pater Rada dixit, ſe non inveniri hanc propoſitionem apud Molinam totidem, & formalibus verbis; legiſſe tamen aliam deteriorem, ex qua illa facile deducitur. P. Regens Collegii Carmelitæ dixit, hanc propoſitionem Molinæ non eſſe alienam a Doctrina S. Auguſtini. Dimittitur Seſſio poſt horam decimam quintam.

#### CAPUT XXXIII.

Quid quadrageſima-nona Congregatione diſputatum? Quid quinquageſima definitum?

Die Veneris, 30. Aprilis anno 1604. celebrata eſt coram Clemente VIII. Congregatio 49. Diſputatum de nono Scripto, nimirum. Præſuppoſito, quod actus, elicitus a libero arbitrio ex ſubſtante naturali, credendi in Deum, diligendi Deum ſuper omnia, præveniendi de peccatis, cum propoſito, F f & de.

et deliberatione amplius non peccandi, et superandi, nedum minores, sed graves tentationes, vel saltem cohibendi consensum, ne gravibus tentationibus succumbat; et quod omnes isti actus sint elicit, nedum semota omni mala circumstantia, sed vestiti omni bona circumstantia tam ratione objecti, quam officii; et quod sint elicit intuitu, et contemplatione Omnipotentis Dei, punientis scelera, et premiantis virtutes; et quod isti actus sint nedum naturales, sed etiam quoad substantiam ipsorum actuum, secundum Molinam, sint supernaturales: An sint, prout ad salutem oportet, supposita lege, quod facienti, quod in se est, Deus det gratiam?

Huic proponenda controversiæ locum dedit repetita sæpius Molinæ, ejusque defensorum responsio; dum de liberi arbitrii viribus ad credendum, sperandum, ac diligendum Deum, de peccatis dolendum, aliaque familia opera exercenda disputaretur. Ne enim Pelagianismi rei apertius agerentur, quod hujuscemodi opera, ad salutem conducentia, naturæ viribus adsciberent; ea talia esse, pernegabant, quæ ad salutem oportet. Quapropter disputandum decrevit Sanctissimus Pontifex, iusto ne titulo consecutionem illam negassent, ut Pelagianismi accusationem effugerent.

Defendit itaque Ferdinandus de Bafida, eam a se, aliique Molinæ vindicibus iuste negatam fuisse: quod isto potissimum probavit argumento: Actus, prout ad salutem oportet, ille est, qui operantem ad salutem æternam perducere potest: vel ut meritum, vel ut commensurata dispositio; sed actus tendens in Deum, ex omni circumstantia bonus, & factus ex motivo Omnipotentis (adhuc supposita lege gratiam conferendi facienti, quod in se est) non potest hominem perducere ad æternam salutem, sive ut meritum, sive ut commensurata dispositio; igitur hujuscemodi actus non est, ut ad salutem oportet; adeoque consequentia jure negata est.

Majorem permultis S. Augustini, ac D. Thomæ, aliorumque magni nominis Theologorum testimonio confirmavit. Minorem distincta partium enumeratione prosecutus est; nihil hujuscemodi actui inesse, ostendens, quod ei proportionem cum æterna salute conferre valeat. Non ipsa, inquit, in Deum ordinatio; quia actus in Deum, uti naturæ Auctorem, ordinatus, fini supernaturali non accommodatur: Non ille bonarum circumstantiarum apparatus; quia objectum, finis, officium, cæteraque adjuncta supernaturali beatitudini non respondent: Non divinæ Omnipotentis contemplatio, quia illa per sese indifferens est, atque a ratione naturali, perinde ac fide plerumque proponitur: Non demum lex conferendi gratiam cuiusque nativis viribus admittitur, quantum valet; quia cum actui mere extrinseca sit, nullam illi confert virtutem intrinsecam.

Addidit duo alia subsidiaria argumenta: Primum ex eo petitur, quod quis certus esse non possit, se actus salutis æternæ meritorios edere; certus tamen esse possit, operari se propter Deum, ac bene quidem ex omni circumstantia, necnon ex motivo Omnipotentis. Alterum ex innumeris S. Thomæ, Cajetani, & Soti testimoniis desumptum, quos id ipsum docuisse voluit, quod Molina.

In oppositam viam abiit Thomisticus Actor. Defendit, actus, in proposita questione designatos, tales esse, quales oportet ad salutem; ideoque non nisi Divinæ Gratiæ ope elici posse. Pupillis illi, ac prora fuit Sanctus Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 3. ubi actus moraliter bonos, a Juliano naturæ viribus adscriptos, ad salutem æternam valituros, inferebat; tamen non

illos Vir Pelagianus tam laudabilibus, tam dignis, tamque heroicis circumstantiis coonestasset, ac suos Molina. Non absumilem consecutionem, a S. Prospero ex Cassiani doctrina deducam, eumque putidæ repugnantis convictum ostendit, ob id unum, quod virtutum femina animabus nostris naturaliter inserta docuisset, quæ nisi a Deo, ut ajebat, excitarentur, ad incrementum perfectionis pervenire non possent. Quibus fufus enarratis, in Molinianæ doctrinæ laxitatem elatus, Quid diceret S. Prosper, exclamavit, si his temporibus auctores, non solum omni anime inesse virtutum femina, beneficio Creatoris inserta naturaliter, sed ea etiam ex bono naturæ ad tantam perfectionem devenisse, ut viribus naturæ possit bono credere in Deum, sperare in Deum, diligere Deum super omnia, conteri de peccatis, cum proposito amplius non peccandi; et posse hos actus, et opera facere, ex fine, objecto, et omnibus circumstantiis bona; et ea quidem intuitu, et contemplatione Divinæ Justitiæ, scelera punientis, et virtutes premiantis? Certe colligeret ex his S. Prosper, negari peccatum Originis, et liberum arbitrium constitutum sanum, et integrum, non lesum, et infirmum; et demum gratiam vel non esse necessariam, vel eam dari ex merito horum operum precedentium.

Post hæc Bafidæ momentis breviter satisfacit. Prioris argumenti minorem propositionem inficiatus est, cujus probationes omnes falsa hypothese niti, demonstravit. Si enim Molinæ dogma fuit, Hominem (præxistente maxime lumine fidei, quo Deum novit scelerum vindicem, ac meritorem remuneratorem) naturæ viribus conteri posse; fidei quoque mysteris assentiri, quatenus a Deo revelata sunt: quo jure de Deo naturæ duntaxat Auctore, ejusque Omnipotentia, naturali lumine nota, locutus fingitur? Rursus, si verarum virtutum actus, ex fine, & officio, cæterisque adjunctis moraliter bonos, ad salutem æternam valituros, demonstravit Augustinus; quid illos supernaturali beatitudini respondere, differunt Molinæ Vindices? Si demum, iis positus actibus, gratia ex certa lege infallibiliter obtinetur; nonne juxta Divinæ providentiæ ordinem, ad æternam salutem perducere putandi sunt?

Ad alterum dixit; hominem non minus incertum esse, an eos actus cum iis circumstantiis eliciat, quam quod operetur, ut ad salutem oportet: quia plerumque sibi de se mens ipsa mentitur, putatque, agere se propter Deum, dum secretis vanæ gloriæ motibus ducitur. Demum S. Thomæ, Cajetani, ac Soti testimonia, jam olim a Valentia, & Arrubale sæpius objecta, ac totidem soluta, cursim exposuit.

Dicis occurrat Ferdinandus de Bafida, sua ut argumenta tenacius defenderet, quorum vim a Lemoso declinatam dixit. Verbum non sine offensione accepit ille: Bene: reposuit, et sufficiens responsum est: et si attendisses ad mea dicta, percepisses solutionem: Si non esset temporis inopia, responderem vobis usque ad noctem: breviterque respondi, ne graveretur Sanctissimus D. N.

Stetit nihilominus Molinæ Vindex obfirmato animo: nec modo sibi tunc minime responsum asseruit, verum etiam argumentum suum, ex incertitudine salutis, & certitudine actuum bonorum petitur, nusquam a duobus annis, quibus ille eoram Pontifice disputationes habebantur, solum fuisse, jactavit. Quod ut Pontifex audivit, Jam, inquit, respondit P. Lemos, quod non solum sumus certi, quod hi actus, qui a nobis fiunt, sint, prout oportet; sed neque sumus certi, quod eos habeamus cum his requisitis.

Objectis deinde nonnullis de bonitate actuum mo-

moralium satisfacit Thomas de Lemos: congregatæque circa horam decimam-septimam solutus est.

#### Judicium de Dubio controverso.

(I) Congregatio 50. celebrata est die Sabati, 1. Maii 1604. hora 12. Actum est de primo Dubio; et resolvit Congregatio, actus, de quibus in Dubio proposito, elicitos propter Deum, & cum omnibus bonis circumstantiis, esse actus, prout oportet; atque ideo elici non posse sine Spiritus Sancti gratia: & ideo Molinam errasse, asserendo, posse hominem ex sola facultate naturæ credere, sperare, diligere. D. Episcopus Aquilanus censuit, esse probabile illorum opinionem, qui docuerunt, hujuscemodi actus posse elici ex solis viribus naturæ; qui tamen negant, esse actus, sicut oportet. Unde addidit, interim dum non est clara aliqua declaratio Sedis Apostolicæ, se non probare itam consequentiam: Sunt actus boni ex officio, & fine, & cum omnibus bonis circumstantiis: Ergo sunt actus, sicut oportet. Similiter censuit P. Regens Collegii Carmelitarum. Absolvitur Actio hora decima-quinta.

#### CAPUT XXXIV.

Quid Congregatione quinquagesima-prima disputatum? Quid quinquagesima-secunda definitum?

Die Veneris, 7. Maii 1604. habita est Congregatio 51. Coram Clemente VIII. Questio tractata fuit: In quo differant motuum pietatis Christianæ, et motuum, quod actus fiant intuitu, et contemplatione bonitatis, et justitiæ Dei: cum ut actus fiant ex timore, et amore Dei, etiam super omnia?

Movendæ questionis hæc ratio fuit. Dum de Molinæ systemate ageretur, quo actus intuitu bonitatis, ac justitiæ Dei elicitos, Liberi Arbitrii viribus ascribit; objicit non semel Thomas de Lemos, consequens inde fore, ut Christianæ pietatis opera facultati naturali tribuantur. Consecutionem negarunt Molinæ Defensores, quod hæc duo inter sese longe differrent. Idcirco ea de re specialiter disputare, visum est.

Prima itaque Bafidæ positio fuit, duo illa motiva omnino inter se distingui; quia in statu naturæ puræ, vel integræ, non potuisset homo operari ex motivo pietatis Christianæ; potuisset tamen intuitu justitiæ, ac bonitatis Dei, super omnia dilecti. Immo vero, inquit, cum Summus Pontifex proposito Dubio quaesierit, qua in re duo illa motiva differant; ea certe inter se differre, supposuit.

Alterâ positio fuit, in eo motiva illa differre: Quod motuum pietatis Christianæ, ex intrinseca sua ratione, habet movere voluntatem ad actum, ex objecto formali, et principio excedente naturæ vires: motuum autem, quod actus fiant intuitu, et contemplatione bonitatis, et justitiæ Dei, quamvis possit aliquando movere voluntatem ad actum, ex objecto formali, et principio excedente naturæ vires; non tamen id habet ex intrinseca sua ratione, sed secundum se est indifferens ad hoc, ut movet voluntatem ad agendum ex formali objecto, et principio excedente naturæ vires, aut illis proportionato. Primam propositionem suam partem, in qua nullus

Serry Tom. I.

(I) Ex Actis Secretariis. In Compendio vero sic: Resolvit Congregatio, opera, actusque de quibus in Dubio proposito quaeritur, vere esse, sicut oportet, ac propterea Molinæ doctrinam de ejusmodi actibus æque convicti Pelagianismi, eam asserent contra expressas Patrum, & Conciliorum definitiones, posse hominem ex sola facultate naturæ illos elicere cum solo consensu generali Dei, absque ullo Divinæ Gratiæ adjutorio.

difficultas erat, multis probavit: alteram hæc una ratione fuisse, quod motuum hoc omnino indifferens sit, ut proponatur per lumen fidei, aut rationis naturalis. Hincque tertiam deduxit assertionem, ex ea sponte consecutionem: nimirum duo illa motiva genere quidem convenire, sed specie differre. Quibus omnibus statutis, conclusit: timorem, & amorem Dei super omnia, supernaturalem, viresque naturæ excedentem, motuum esse, fini Christianæ pietatis accommodatum, quo voluntas ad hujuscemodi opera edenda moveri potest: fecus vero timorem, & amorem Dei super omnia, naturalem.

Questionis resolutionem oppositam petiit Thomas de Lemos ex statutis in superiori Congregatione. Quia si actus, intuitu Divinæ justitiæ, ac bonitatis, seu ex timore, & amore Dei super omnia elicit, tales sunt, quales ad salutem oportet; profecto ad pietatis Christianæ finem ordinantur, atque ex ipsius consideratione eliciuntur. Ad uberiores tamen assertionis fuz confirmationem, institutum suum proluxa oratione profecutus est. Duo maxime capita demonstravit. Primum Molinæ errorem in hoc præsertim situm esse, quod disp. 14. memb. 1. §. Ratio vero, & memb. 4. §. His ita consiliis, putari, Divinam bonitatem, ac justitiam, supernaturali fide notatas, naturæ viribus timeri posse, ac super omnia diligi. Quo systemate fidem, perinde ac philosophiam everterat: Fidem quidem, quia sic naturæ viribus timetur, ac diligitur Deus, ut finis est supernaturalis; Christianæque pietatis actus ex motivo vere religioso exercentur: Philosophiam vero, quia eo pacto objectum formale habitus superioris inferioribus viribus attingitur. Secundo ex Augustino, & Doctore Angelico probavit, opera moralia, per solam etiam naturalem rationem proposita, modo tamen egregia sint, excellentia, ac difficilia, qualia sunt, quæ a Molina recensentur, ut diligere Deum super omnia, dolere de peccatis propter Divinam bonitatem summe dilectam, vincere graves tentationes, mortem propter justitiam obire, lapsæ naturæ vires profus excedere; nec nisi Divinæ gratiæ auxilio, in isto corruptionis statu, exerceri posse: ac propterea actus, quibus eduntur, esse vere pios, & ad salutem ordinatos.

Secundum hæc facilis fuit ad objecta responsio. Ad primæ propositionis momenta, ait, frustra illos ad status naturæ puræ, & integræ confugisse, de quibus questio minime vertebatur: eosque ambitiosius Summi Pontificis suffragium jactasse, quasi qui duo illa motiva inter se distingui supposuisset in ipso proposito Questionis themate: cum non ex sese, sed ex Patrum Societatis principiis, quorum examen instituebat, supposuerit.

In secunda propositione gravissimum Defensorum errorem observavit, qui Christianæ pietatis motuum non ex solo supernaturali objecto formaliter repetebant, verum etiam ex principio efficienti supernaturali: adeo ut utrumque perinde desideraretur, ut actus ex Christianæ pietatis motivo fieri censeatur. Si enim id stare, inquit Lemos, Pelagianus nequaquam damnati dicerentur, quod Christianæ pietatis actus naturæ viribus tribuissent; cum hoc ipso, quod ab eis supponerentur ex naturæ viribus, tanquam efficienti principio, elicit, non essent jam pietatis actus. Ex solo itaque objecto formali petitur Christianæ pietatis

Ff 2  
ta

tatis motivum; quia motivum quacumque in re vel finis est, vel aliquid se tenens ex parte finis: principium autem efficiens motivum per omnia respondere debet; ac propterea Molina, ac Pelagiani dammandi sunt, quatenus ponunt, actus, ex objecto formali vere pios, & ad salutem attinentes, ex principio minime pio, & minime salutari elici posse.

Ad cætera Defensorum momenta non descendit Divinae Gratia Vindex, quia duobus superioribus capitibus semel a se demonstratis elisa supponebantur. Idcirco ad illorum confutationem non parum temporis infumere Ferdinandus de Bastida, & Joannes de Salas. Quaestionem de veris Infidelium virtutibus, iam olim ex instituto prolixius agitatam, reficantur, ut liberi arbitrii vires efferrent. Ad acta se retulit Thomas de Lemos, nec ultra hoc in argumento terendum tempus, existimavit. Verum, iis rursus urgentibus, Doctorumque Scholasticorum suffragia in hujus rei confirmationem adducentibus; respondit Prædicatorum Generalis, frustra pro Moliniana doctrina veteres Theologos asseri, quam novam Author ipse falsus est; neminemque Doctorum esse, qui in Infidelibus veras virtutes, sub propria, ac formali ratione virtutum, agnoverit. Quanquam non solas virtutes morales Liberi Arbitrii viribus adscripsit Molina; sed & fidem, spem, dilectionem Dei super omnia, penitentiam, cæteraque ad Divinorum mandatorum observantiam attentantia.

Respondit Bastida, Molinam non nova, sed nove dixisse; nullamque ei culpam irrogandam, quod hæc omnia libero arbitrio tribuisset, in quibus substantiam duntaxat actuum, non rationes formales supernaturalis attendat. Ea in re totam controversiam difficultatem positam dixit; quam idcirco Summi Pontificis iudicio eliquari petiit. Desit Congregatio hora 17.

#### Judicium de superiori Controversia.

(1) Congregatio 52. celebrata est in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, die Sabbari, octava mensis Maii, hora 12. anno 1604. Actum est in hac Sessione de secunda quaestione Articuli noni: videlicet, An idem sit motivum pietatis, &c. & resolvit Congregatio, idem esse actus fieri ex motivo pietatis Christianæ, & fieri intuitu bonitatis Divinæ, & contemplatione beneficiorum, quæ Deus in nos contulit, usque ad effusionem sanguinis Filii sui in Cruce pro nobis; atque adeo huiusmodi actus esse actus pios, sicut oportet, & propterea elici non posse ab homine ex solis viribus nature. Quocumque enim modo proponatur bonitas Divina sub ratione diligibilitatis, sive per lumen naturale, sive per lumen fidei, omnino tenendum est, esse motivum pietatis; & idcirco attingi non posse tale objectum virtutis naturalis sub hoc motivo, actu absoluto, & perfectio dilectionis Dei super omnia, quam Molina constituit haberi posse per solam facultatem naturalem. Dissentiebant D. Episcopus Aquilanus, qui dixit probabiliter a nonnullis Doctoribus asseri, horum actuum specificam rationem desumi ex diversitate princi-

(1) Ex Actis Secretarij. At in Compendio sic: Resolvit Congregatio, loquendo præcisè de statu nature lapsæ, non posse assignari specificam, & essentialiam distinctionem inter motivum pietatis Christianæ, & motivum bonitatis, & justitiæ Dei. Hoc est, idem omnino esse in statu nature lapsæ, actus fieri motivo pietatis Christianæ, & fieri intuitu, & contemplatione bonitatis, & justitiæ Dei; atque adeo elici non posse sub hoc motivo per solas vires nature, sine speciali Gratia Divinae adjutorio: Possimum vero, quia secundum Molinam huiusmodi actus supponuntur elici ex consideratione maximorum beneficiorum tum nature, tum gratiæ, quæ Deus in nos contulit usque ad proprii sanguinis in Cruce effusionem, & ex timore, & amore Dei super omnia, in quo consistit vera, & propria ratio pietatis Christianæ.

piorum; ac propterea actus illos, de quibus Molina agit, non esse, sicut oportet, quia non sunt elicti ex auxilio Gratia Divinæ. Et consequenter censuit P. Reges Collegii Carmelitarum, motivum pietatis Christianæ apud Molinam esse diversum a motivo, quo actus sunt intuitu bonitatis Divinæ, & contemplatione beneficiorum, quæ Deus in nos contulit, usque ad effusionem sanguinis Filii sui pro nobis in Cruce. Absolvitur Actio hora 15.

#### CAPUT XXXV.

Quid Congregatione quinquagesima-tertia disputatum? Quid quinquagesima-quarta definitum?

Die Veneris 28. Maii 1604. coram Clemente VIII. fuit Congregatio 53. Ad plenioris superioris controversia eliquationem, de mandato Summi Pontificis disputatum est de Dubio Scripti decimi: An, quando intellectus proponit voluntati Deum amandum, & colendum, ut summe bonum, & justum, præmiatorem virtutem premio vite æternæ, & propterea summa amandum, quia pro nobis vitam, & sanguinem profudit; & scelera punientem æterna damnatione; possit dici, quod proponat eum, tanquam objectum naturale tantum, an etiam supernaturale, aut tanquam indifferens ad actum naturalem, & supernaturalem? Et an hoc modo dicatur illud proponere, tanquam rem, ad fidem pertinentem; & sic tanquam objectum fidei?

Defendit Ferdinandus de Bastida, ea quidem, uti objectum supernaturale, proponi, si lumine fidei tanquam Divinis regulis consona cognoscantur; fecus, si naturali lumine veluti humanæ rationis regulis conformia proponantur. Istud ultimum, cui tota inest responsionis difficultas, multiplici argumentorum genere probavit. Inter hæc potissimum istud fuit: Juxta fidei principia voluntas nequit tendere in Deum summe bonum, & justum, nostrumque Redemptorem, naturali ratione nobis propositum, nisi actu pure naturali: Igitur Deus, ita nobis propositus, est objectum duntaxat naturale. Antecedens ostendit primo, quia voluntas, ea in hypothesi, in Deum tenderet per actum, ex fide minime procedentem, adeoque minime supernaturalem; cum fides sit prima radix actuum supernaturalium, & ad salutem attinentium. Secundo, quia, si voluntas in Deum ita cognitur ferretur, v. g. actu supernaturali dilectionis super omnia; vel eo actu justificaretur homo, vel non. Si justificaretur; ea justificatio fieret sine fide: si non justificaretur; igitur supernaturalis Dei dilectio super omnia non esset ultima justificationis dispositio. Tertio, quia objectum supernaturale nequit per actum malum appeti: Deus autem, ita nobis propositus, actu malo appeti potest; Ut patet, in eo, qui vellet mysteria mortis Christi meditari per duas horas, in quarum posteriori teneretur curare infirmum, & culpabiliter esset oblitus: illi meditationis actus, & dilectionis ex illa hora essent mali; & tamen per illos proponeretur voluntati Deus secundum istas rationes, & ab illa amaretur. Quarto, quia homo certus esse non potest, an actum eliciat circa objectum supernaturale formaliter: potest.

potest tamen certus esse, Deum se diligere, summe bonum, & justum, qui pro ipso sanguinem fudit.

Hæc omnia hæreticorum exemplo confirmavit, qui licet nulla ad actus supernaturales auxilia habeant, Pro suis tamen erroribus moriuntur, plures huiusmodi actus eliciunt, offerendo mortem suam pro Christo, qui pro ipsis mortuus fuerat; & dulcia colloquia cum illo miscendo, plena affectibus amoris, dum ad patibulum ducentur.

Difflucit Clementi VIII. adeo absurdum figmentum: idcirco per derisum interrogavit: Vidistine hos hæreticos, huiusmodi dulcia colloquia miscentes? Immo sepius neque crucem inspicere volunt. Respondit, se eos quidem non vidisse, sed ab aliis accepisse.

Cætera urgebat Molina Defensor, ut voluntatem in Deum summe bonum, & justum, qui pro nobis sanguinem fudit, viribus naturalibus tendere posse, demonstraret: cum Pontifex objecit: Quomodo potest voluntas, propriis viribus tendere in hoc objectum, quod non nisi Divino auxilio attingi potest; cum sit secundum se supernaturale? Et quomodo per lumen rationis potest cognosci effusio sanguinis Christi Domini in Cruce pro nobis? Reposuit, id quidem simpliciter non posse, bene vero Divina revelatione, aliunde supposita.

Iis rationibus Theologorum testimonia addidit, quos in suæ assertionis probationem magno numero laudavit ex Thomistica Schola. Ac demum alteram propositi Dubii partem in sequentem Congregationem differri petiit.

Bastida hypothesi, cui tota ejus actio nitebatur, impetit Thomas de Lemos. Contendit in primis, intellectum solo rationis lumine, quantumvis sublimi, illustratum, non posse proponere voluntati Deum, uti bonorum præmiatorem premio vite æternæ, aut malorum punientem æterna damnatione; multo minus, uti pro nobis in ara Crucis mortuum; atque adeo fidei duntaxat lumine proponi posse, ut rem supernaturalem, sub formali objecto fidei contentam. Primam partem eiecit, quia res, supra totum naturæ ordinem constituta, rationis naturalis lumen excedit. Secundam, quia si res, supra naturam posita, a fide, uti naturalis, proponeretur, fides falso subesseret.

Contendit secundo, quod, dum intellectus infidelis, ex alterius suasionem, aut credulitate naturali, imperfecta, fallibili, & humana, credit, Deum vitam æternam omnibus elargiri; tunc voluntas actum perfectum, & absolutum desiderii, spei, aut dilectionis Dei elicere nequit; sed imperfectum, in mera velleitate situm.

Hinc tota objectionum vis elisa fuit. Everfa quippe præcipui argumenti hypothesi (qua Deum, uti summe bonum, ac justum, nostrumque Redemptorem, ratione naturali cognosci posse, supposuerat) cætera omnia sponte ruebant. Iis tamen ex abundantia satisfacit. Quare ad primam antecedentis probationem ait, actus, etiam sine fide elicitos, modo tamen ex gratia præveniente, atque ad fidem disponente oriuntur, vere supernaturales esse, & ad salutem pertinere; quales sunt ii, quos Concilium Tridentinum sess. 6. can. 6. commendat, dum homines, excitati, & adjuti, fidem ex auditu concipiunt, libereque moventur in Deum: quia licet fides prima sit justificationis forma, non est tamen prima dispositio. Ad secundam dixit, amorem nullum supernaturalem, perinde ac nullam cognitionem, naturæ viribus haberi posse. Ad tertiam respondit, ea in hypothesi actum supernaturalem, cujus Deus specialiter auctor est, tunc primum definire, dum homo ex caritate debito alio vocatur. Ad ultimam dixit, neutrum homini constare, quemadmodum in Con-

gregatione quadragesimanona demonstraverat. Exemplum ab hæreticis defertum exfussit; hæreticos, inquiens, pro sua pertinacia, & errore ex se quidem mori: neminem tamen pro Deo sine Deo pati posse.

Laudatis Theologorum testimoniis respondit paulo durius, nec sine objecta mala fidei accusatione: Isti Reverendi Patres, inquit, adduxerunt quinquaginta loca pro sua sententia a principio hujus cause; & a quibusdam Patribus mæ Religionis, Provincie Hispaniæ, ostensum fuit, sinistre, & in pravo sensu allegari: Quod ostendunt in Apologetico quodam tractatu Sanctitati Vestre porrecto. Similiter Doctores Lovanienses in aliis eorum justificatione manifestarunt, plurima loca Sanctorum, ab istis Patribus citata, truncata adduci. Et tamen Reverendi isti Patres Vestre Sanctitati dederunt 300. loca S. Augustini, ad fundandum in S. Doctore sententiam suam: & tamen nec verbum ex illis inventum fuit recte adduci in illo sensu, in quo S. Augustinus illud inducebat. Eodem ergo modo isti Patres adducunt multitudinem Doctorum, & putant, nos terere huiusmodi citationibus. Verum, si expendantur, apparebit, quod nihil profus illis faveat.

Illis vero expensis, & expositis, rursus in Molina Vindices efferebat, qui ad alteram propositæ quaestionis partem minime responderant; novisque in dies excogitatis artibus moras trahebant: Beatissime Pater, inquit, de unico Dubio volum Reverendi Patres duas fieri Congregationes, ut causa in infinitum protrahatur, & nunquam terminetur; & non advertunt, quomodo in dies crescant mala: præcipue cum audierim, in multis partibus publice legi Faustum, qui tamen damnatus est ab Ecclesia Sancta, a Gelasio Summo Pontifice, Mornisda, Leone, & Concilio Arausicano. Ideo non eger hæc causa, ut amplius protrahatur, ut volum isti RR. Patres: sed deberent respondere etiam ad Appendicem Dubii, quia non habet particularem difficultatem.

Offenso animo dictum excepit Ferdinandus de Bastida: illatamque, ut arbitrabatur, retulit injuriam: Quod nunc, subjunxit, crescant in dies mala, scio; nam significatum est nobis, quod in Collegio S. Thomæ Hispanensis inventus fuit quidam Libellus famosus, contra nos scriptus, illic missus, & publicatus. Unde nostrum est conquiri, quod in dies contra nos crescant mala. Non instamus tamen, ut nunc, vel post decem annos controversia hæc terminetur; quia hæc terminari vel citius, vel tardius, pertinet ad Spiritum Sanctum, quem S. D. N. credimus certissime assistere. Operamus tamen, Beatissimo Pater, ut de Libello, contra nos facto, inquiratur.

Nescio, quid finitum ea in supplicatione supplicatus sit Beatissimus Pater: interea tamen sententiam ex tempore pronuntiavit in hunc modum: Cum Libellus hic, ut dicitis, apud vos sit, producite illum, & simul ostendite auctorem illum; & certissime puniemus eum: alioquin, si auctorem non ostenderitis, secundum leges vos, tanquam auctores illum, condemnabimus.

Audito iudicio, ad institutum rediit Bastida. Superius dicta emollivit; atque, Molinam non alium assensum naturæ viribus adscripsisse circa veritates supernaturales, quam qui ad humanam fidem pertinet. Excusationis vanitatem Pontifex ostendit: Quia Molina huic fidei, quam dicit humanam esse, adscribit omnia, quæ ad fidem Catholicam spectant: videlicet, quod per illam credere possit, quia revelata sunt a Deo, atque cum tanta, ac majori certitudine, quam fideles credant per fidem Catholicam. Subjunctum ad hæc fervidus Defensor, nihil hæc in parte Molinam docuisse, quam quod cæteri omnes Theologi defendunt: quocirca superioro-